

GVSTAVI GEORGI ZELTNERI
D. P. P. ET P.
DE
**SVSPICIONIBVS
ECCLESIAE NOXIIS**
SCHEDIASMA
2^{vo}
THEOLOGIAE STVDIOSOS
AD
**DISPVТАTIONES SVPER BREVIARIO
CONTROVERS. CVM REMONSTRANTIBVS
HABENDAS AVDIENDAS QVE
PERAMANTER INVITAT.**

ALTDORPHI A. R. S. MDCCXIX
TYPIS IODOCI GUILIELMI KOHLESII, ACAD. TYPOGR.

65.

a. C'XXXIX. 18.

Coll. diss. A
139, 18





Ravis est & justa Paulli querimonia, qua,
qui falsa docent, hoc potissimum no-
mine vituperandos censet, quod non
solum errores in Ecclesiam Christi exi-
tiosos invehant, sed *invidiae* etiam, *jur-
giis*, *criminationibus* & *pravis suspicio-
nibus* occasionem dent ex hac scaturi-
gine abunde profluentibus I. Tim. VI, 3. 4. Nobis in præ-
sentia de postremo horum malorum, *suspicionibus* inquam,
brevibus commentari animus est. Quas, cum ipse Apo-
stolus *παρενοιας* appelleat, *cogitationes de aliis hominibus
sinistras, mente tamen reconditas*, denotare, in aprico est
positum; easque proinde a Politicis, a quibus vulgare il-
lud *Epicharmi*, μέμνησο ἀπιστῶν, inter prima regnandi αἰχματὰ
receptum, vel ipsum Apostoli argumentum, in quo l. c.
Paullus versatur, discernit. Quando vero *suspiciones* Theo-
logorum, vel, si malis, *Ecclesiæ noxias*, cum eo improba-
mus, non est, L. B., cur existimes, omnem omnino *Pru-
dentiam* nos a Doctorum, in Ecclesia pariter, ac Christiano-
rum in universum, genio diviniori, arbitrari alienam esse.
Eam enim aperte cum pia simplicitate conjungi jussit *Sa-
spitator* optimus Matth. X, 16. & non minus ἀκεράγες, quam
Φεονήμυς asseclas suos esse voluit. Ministris vero Ecclesiæ,
tanquam œconomis Mysteriorum divinorum, ut sit cum
animo ἡπίω καὶ ἀνεξιδίκῳ II. Tim. II, 24. etiam τὸ πεστέχειν,
γρηγορεῖν, ἀγρυπνεῖν καὶ ἀντέχειν A&t. XX, 28. sq. Hebr. XIII, 17.
Tit. I, 9. sqq. injunctum, quanquam Lupi *eminus* Ioh. X, 12.
accedant, quis nescit? Ut omittamus singulariter memo-
rable officium τὸ σκοπεῖν, ne quid in Ecclesiam irruat offen-
diculi, Rom. XVI, 17. maximopere ab eodem Apostolo
cunctis inculcatum. Quod, quemadmodum *Chrysostomus*
per ἀπειργάζεσθαι μετ' αὐτοῖς καταμανθάνει καὶ διεργάζεται
explicat;

explicat ; ita quoque B. *Hunnius* noster ex dono *discretionis spirituum* pulchre deducit , & illustratæ mentis sagacitatem , hodieque prævidendi , quid Diabolus per bunc vel illum falsum Doctorem meditetur , quam ordiatur telam subsequentium errorum , qui nondum in apertum proferuntur &c. esse ait. Hanc ergo accuratam Attentionem , ne quid lolii , vel stertentibus aut non animadvententibus famulis Dei , inter triticum seratur , quamvis nemo improbet , cui sana mens est ; tamen , ne vitium virtutis umbra fallat , larva quoque illi detrahenda , & , ut genuinis providentiæ & circumspectionis criteriis , alterum ab altero secerni possit , elaborandum erit. Quo quidem labore nihil est facilius , quandoquidem , qui vel primas moralis disciplinæ lineas inspexerunt , suspicionem *judicii determinationem* intelligent esse , quæ *argumentatione incerta* , atque *ex signis levibus procedente* , nititur ; cum ex adverso prudentia , non σκολιοῖς λογισμοῖς , & præcipiti judicio , sed *solicita circumstantiarum omnium consideratione* formetur. Quam etiam ob rem ille , *suspicacitas* nonnullis dictus , animi morbus , credulitatis & præcipitantiæ latiori quasi ambitu , ut a Venerab. *Læschero* in *Decimis* factum est , comprehendi solet ; haec vero , uti politissimo placuit *Philareto* , tanquam partes , quibus absolvitur , necessarias , Attentionem , Circumspectionem , Providentiam & Discretionem , requirit ; atque sic demum probe instructa virtutis moderatrix audit.

Quo discrimine brevibus commonstrato , quamquam in scilicet Apostoli auctoritate acquiescere possemus , jam operæ pretium erit , *suspiciosissimo* hoc tempore , quale sua Cicero ætate *Caninianum* nominavit , in plurima inquirere incommoda , quæ *suspiciones* pariunt , cauſisque dehinc indicatis , ut possit sanari tam noxia quam recondita mentis ægritudo , in medium consulere. Ad *damna* igitur quod attinet per *Suspiciones* Ecclesiæ data , omissis V. T. calamitatibus hinc enatis , ad Novi Fœderis fata sine mora nos

conver-

converteremus ; nisi vel prima omnium delictorum scat-
rigo, & Violatio divinae legis Paradisiacæ occurreret, quam
ex suspicione, in animum Protoplastorum injelta, ab Infer-
nali genio serpentis Inseffore, ortam , atque hinc in omnes
labem genialem dimanasse, constaret. Cui malo primario,
coetui diviniori illatae a maligna cohorte vexationes, eæ-
demque continuæ, cum tempore Patriarcharum , in Cana-
næa terra commorantium , tum populo Dei in Ægypto
hospitante, eodem ut plurimum , in peregrinos præsertim,
stimulo concitatæ, successerunt: addente his omnibus *Pha-*
raone Regum suspiciosissimo ultimum pondus, suisque eam
suspicionibus & retinente, & suo tamen malo tandem repe-
rente, undisq; ad extremum submerso. Quantis posthæc
vicinorum exagitationibus, per suspiciones, religionis odio
& potentiae vicinæ formidine conceptas , eadem Respu-
blica, jam plenius constituta, fuerit obnoxia, Historici Sacri
luculentissime docent, & res ipsa confirmat. Nullum vero
majus ea detrimentum passa est , quam cum Davidicūm
Regnum (cuius primus Stator, Isai filius, *Saulis suspicioſi*
persecutiones & ipſe plus satis expertus erat) a Tribubus
Decem Israeliticis avulsum, nunquam, solarum pæne suspi-
cionum culpa , eas sibi conciliare posset , & ipsum tandem
diffidentiæ erga Deum, præter alia scelera , plane immer-
sum , hostibus suspiciosissimis succumberet. Quæ mala
cum instaurata deinceps Republica tantum abest ut desierint,
ut, inter Syrorum Ægyptiorumque suspiciones mutuas, ad-
versa potius plurima deuuo persentiscere , Maccabæorum
vero gente ad fastigium evecta , postremum & exitialem
insultum ab Herode, ex suspicionibus prorsus composito
Rege, Iudæisque pariter & domesticis suis iniquissime in-
fidiante , sustinere necesse habuerit; ipsa vero denique sua-
rum in Iesum Nazarenūm suspicionum sceleratarum , mu-
tuarumque, suspicantum & æmulantium invicem *Phari-*
sæorum Saddueæorumque, ad extremum vero & *Zelotarum*,

poenas justissimas dederit. Sed longe plura atque extantiora sunt ejus mali exempla, quæ sub Novi Foederis exordium, & in progressu, dilucidius observata sunt. Quis enim ignorat *Pseud-Apostolorum* conatus, uti ceteris, ita Paullo cum primis suspiciosa ambitione invidiaque molestos? Quis *Gnosticorum* nescit suspectum vitæ genus, ex quo occasionem de Christianis pessima quæque suspicandi arripuisse *Paganos* non pauci credunt? quos certe ex conventibus clandestinis, maturo Sacramenti notionis usu Ecclesiastico, fratrum sororumque compellatione, osculis piæ charitatis, aliisque haud dissimilibus, *suspicandi* primum, ac deinceps strenue *calumniandi*, ansam sumisset est in propatulo. Vtrum & operosa apud *Clementem Alexandrinum* vindicatio & descriptio verorum *Gnosticorum* suspicionibus debeat originem, nec ne? aliis dijudicandum relinquimus. *Tertullianum* certe, cum asperitatis studio, ad Montani scholam suspicionem, de ceteris, tanquam *Psychicis* seu carnalibus, conceptam, abripuisse liquet. Neque dubium est, *Novati* in Africa contentiones primas, ex profanæ facilitatis in disciplina, quod *Cyprianus* in Epistolis annotavit, opinione subortas, & a Novatiano firmatas, huc quoque pertinere. *Sabellii* autem hæresin, utut aliunde natales suos ipsa repeatat, in controversiis cum Samosateno & Arianis, a suspicibus, frequentissime etiam insontibus impingi consueisse, non male inde colligit *Cl. Kettnerus*, quod quamdiu lites illæ vehementius agitatæ sunt, vix quisquam pro veritate adstruenda celebrem illum I. Ioh. V. locum ausus sit allegare, vel ab Artemonistis erasum restituere. *Ariana* vero certamina quam fuerint suspicionum plena, cum alia plura demonstrent nominum ambiguorum, & formarum loquendi suspectarum, ipsarumque sectarum, *dimidiati* quid præ se ferentium, documenta; tum vero etiam Scriptorum & Conciliorum quorundam anceps auctoritas, ipsorumque Doctorum fides docet: inter quos ne nunc quidem de prima-

primarii Histofici *Eusebii* innocentia eruditis satis convenit.
Donatistæ tanto minus nos morabuntur, quanto luculentius ex primis initiiis, obtenuque schismatis, a Traditorum ordinatione sumto, suspicionum vanitas deinceps apparuit, cum ad probandam persuasionem aliquoties motæ Auctores rixæ evocarentur, caussaque iterum iterumque caderent. De Pelagio equidem cum Cælestio suo conspirante aperta fuere omnia: at *Semi-Pelagianorum* caussa tam intricata suspicando in utramque partem reddita, ut neque de Patronis, neque &c de dissidii capitibus satis concordatum sit, contrariaque *Prædestinatianorum* hærefis adhuc inter incertas, veluti suspensa, hæreat. Quas *Nestorianæ* jurgia dederint turbas, quosve fluctus suspicionum moverint, ambigua etiamnum quorundam fides ostendit, multoque luculentius *Trium Capitulorum*, hæreseos istius *suspitionum*, difficilis damnatio, post integri seculi decursum vix impietata, evincit. Ut *Eutychianorum* Nomina, Formulas, Conciliationes necquicquam tentatas, motorumque sede sua, pæne quotidie aucta, renovataque Episcoporum exempla taceamus: quorum omnium pars maxima ex suspicionibus suppululavit. Quæ incerta *Agnoëtarum* inter soler-tissimos sententia, & injuste, eadem de caussa, a suspicaci pariter ac fallaci P. R. *Hormisda* condemnata Scytharum Monachorum ἡστις: *Vnus e Trinitate crucifixus est*: amplius confirmant. Præterimus *Monotheletarum*, neque ἡστη Heraclii, neque Typo Constantis conciliatorum Ecclesiæ, sed suspicionibus sese mutuis conficientium tumultus, & insequenti seculo vergente cum *Adoptianis* vitilitigationes, meritis suspicionibus, quod acutissimus *Calixtus* ad oculum demonstravit, innixas: utpote quæ sunt in aprico satis posita. Quid interea, dum hæc dogmatica ventilarentur, post dignitatis æqualitatem, *Novæ Romæ Episcopo*, jam a *Constantinop.* I. Synodo attributam, ex utraque parte, cumpmis vero a Veteris Romæ Antistite (ut alias aliorum

sc'

scoporum suspiciones ambitiosas mittamus) cestro suspi-
ciolæ mentis plane accenso , aëtitatum sit , sic , ut ipse quo-
que *Gregorius M.* Antichristum adesse , ex his principiis
positis suspicando divinaret , omniaque , aut pleraque certe ,
donec in apertum res abiret schisma , hinc inter Orientales
& Occidentales , Romanum præsertim Patriarcham , age-
rentur , similiter in vulgus notum est . Quam etiam ob
rem frustaneæ conciliationes cunctæ , saepius equidem
susceptæ , sed nunquam , utrinque , nimirum & domi & foris
suspicionibus intercedentibus , perfectæ fuere . Quam suspe-
cti *Cæsares* , instaurato Occidentis Imperio , *Romanis Epi-*
scopis , atque hi rursus illis (Regibusque variis) extiterint ,
præsertim certarum familiarum , Saxonicae , Francicae , & Sue-
vicæ cum primis , invalesceente , in Italia potissimum , poten-
tia , tot cruenta eloquuntur bella , perpetuaque confirmat
anuprecepta , neque quaterna etiam *Friderici II* , cruciatas
maxime Expeditiones suspectas habentis , a Sacris omnibus
abdicatione , finita . Omittimus alia & innumerabilia sub
exordium atque progressionem felicis tandem (postquam
priores Veritatis testes , vel Manichæismi vel Arianismi ,
vel superciliosæ saltim inobedientiæ redditi erant suspecti ,)
Ecclesiæ Repurgationis specimina : quibus modo *Lutherus*
æmulationis Augustinianæ suæ sectæ , in Dominicanos Nun-
dinatores , veniæ delictorum vendendæ præfectos : modo
Principes , animi , bonis Ecclesiasticis potius , quam veritati
inhiantis : modo *Sacerdotes* nupturiendi cupidinis , (quæ in
hunc usque diem continuatur de variis transfugis opinio)
aliorumque insimulabantur criminum . Multoque minus
eas fodicabimus suspiciones , quibus nostri invicem , *Flacii* &
Philippi affectatoribus distractis , alii aliis , Collegæque haud
raro collegis erant doctrinæ falsæ suspecti : quibusque ma-
lis *Formula Concordiae* adornata , sed novis porro suspicioni-
s , Doctrina de Omnipræsentia carnis Christi proh dolor !
ionem iniquioribus subministrante , occurrentum fuit .

Quid

Quid deinceps disputatum sit inter singulos totasque Academias, nostras quoque, quæ Evangelium Christi sincere profitentur, (externa enim jam non curamus) neque vacat percensere, neque opus est; cum plerique a studio partium alieniores ultro agnoverint, atque etiamnum agnoscant, præter λογοταξίας quasdam, vel de momento quæstionum ambiguas digladiationes, inter eos, qui vere nostri sunt, *suspicionibus pugnatum esse* & quasi certatum. Sed nolumus Camarinam movere. Sicut enim non alii magis sunt suspiciosorum assaultibus expositi, quam qui pacis studio, & moderationis commendatione, etiam moderatae, (neque enim probamus in his quoque conatibus veritati inimicam intemperantiam,) ducuntur, tanquam mediæ domus habitatores a superioribus lotio effuso, ab inferioribus fumo ut plurimum acerbe vexandi: Ita quoque, quibus dulce bellum (sacrum inquam) est *inexpertis*, maxime ad suspiciones de istis concipiendis sunt proclives; quorum in se iras, præsertim quæ *cœlestes* esse videantur, provocare, nemo profecto temere velit.

Satis igitur in præsenti nobis est, vel brevi tabella, immensa, quæ sunt ex hac radice prognata, incommoda, damnaque Ecclesiæ data, rudi penicillo adumbrasse. Plura enim, si Hæresium historiam perlustrare vacaret, aut accusatorum monimenta genuina supererent, perfacile colligi possent, & quibus id volupe est, licebit. Nec defuerunt, qui Gottfr. Arnoldo, plus æquo præ ceteris suspicionibus indulgenti, eo nomine dicam non esse scribendum existimarint, quod, quæ vulgo credita sunt, haud pauca, ut erat suspiciosissimus, in dubium vocaverit in *Historia hereticorum & Ecclesiastica universa*; dummodo modum servasset, & qualibuscunque, etiam de perditissimis homuncionibus, conceptis magis, quam probatis opinionibus, non tribuisset nimium, inque aliis excusandis non minus, quam accusandis, hac eadem ratione, in sanguibus viris

B

affectum

affectionum haud raro sinistrum prodidisset. Quæ uteunque
sint, id tamen certum est, Ecclesiam Christi nunquam non
hoc uno vitio graviter divexatam, & ex eo Dissidentiam,
hinc odia, ex odiis Persecutiones tam gladio, quam cala-
mo, veritati & concordiae optabili exitiosas, coortas, tan-
tumque malorum, diverso tempore, mutata subinde rerum
facie ac scena, inventum esse, ut lacrymis nunquam ea sa-
tis deplorari queant: Quæ sigillatim percensere omnia, ut
diximus, non prodest, nec lubet.

Quare, hanc aliis provinciam relinquentes, id potius
nunc agemus, ut *fontes* tanti mali, *signa* item, atque *reme-
dia* paucis exponamus, & ad scopum nostrum viam præpa-
remus. Ad *Fontes* turbidos quod primo attinet, uti *Cho-
lerici*, & quos *Melancholia* cum Cholera abundantiore per-
mixta plus afficit, maxime ad hunc propensi sunt morbum,
quod jam diu observatum est a Temperamentorum inda-
gatrice Philosophia: ita animi sic ante male compositi,
& cum primis odio invidiaque in alios occupati, aut *præ-
judicata* quadam *opinione* imprægnati, ad hunc foetum
præmature concipiendum sunt aptissimi. Hinc enim nulla
difficultate fit, ut, quemadmodum, qui *vitio oculorum*
vel ictero laborant, aut vitris flavo viridiisque colore imbui-
tis utuntur, quicquid intuentur, eodem sibi id persuadeant
colore infectum esse: sic illi pessima quæque, de optimis
sæpe dictis factisque, instar somniantium cogitent. *Vide-
bit notabitque*, qui ejusmodi est mente, (verbis utimur
C. Muhlii.) quæ nusquam sunt, *præva contaminataque*, ubi
nihil labis aut maculæ re ipsa deprehenditur; semperque, quod
quæret, inveniet, quia, quod quæret, pro nutu arbitrioque
instigantis *affetus*, secum afferet. De *Sabinis* olim *vulgari-
ter dicebatur*: *Somniant*, quod volunt. Et certe, qui amant
non solum, sed sæpius etiam, qui oderunt, ipse sibi *somnia* fin-
gunt. Morbi genus est: *Imaginosum* non abs re *Latini* ap-
pellant. Quo facto deinceps non mirum est, si tristis
illa

illa vitiosorum, a *Paullo* Eph. IV. notata, motuum Genealogia; posita nempe in præcordiis intimis *wineja*, primo *θυμός*, animi vehemens *concitatio*; hinc porro ὄργη, *cupiditas* acerbe in alterum dissentientem invehendi; ac denique *κραυγή*, *Clamores*, ex suggestu vel scriptis editi, h. e. ex Polemica sana in Eristicam insanam degenerans decretoria Pugna exsurgat. Si, quicd plerumque fit, *studium quoque partium* accedat, & *cathedralaria*, ut Lutherus vocavit, *Orthodoxia* frigidam suffundat, ita, ut ne in minimis quidem, qua modum etiam loquendi, Discrepantia tolerari queat, multo pejus res & tranquillitas Ecclesiæ comparata erit. Hi enim, qui sunt ejusmodi, quemadmodum *preceptorum auctoritate*, tanquam mancipia, cœco ducuntur obsequio, non quo eundum, sed quo itur, incedentes; ita dissidentes a se quosque suspectos illico heterodoxiæ periculose habere solent: quia, nisi quod ipsi faciunt dicuntve, nihil rectum putant. *Idemque incursant*, ut *Ladantii* verba nostra faciamus, *sine delectu omnia*, *armantque se ad præliandum*, *nec quid defendere debeant*, *nec quidque refutare*, suspicionibus ebrii, *scientes*. Cujusmodi mihi notus fuit homo præcipitis in suspicando judicii, qui cum in bibliopolio a celebri quodam viro certi cujusdam argumenti scriptum editum iri titulotenus accepisset, mox remis velisque domum se contendere velle præsentibus ajebat, ut ad confutationem sese accingeret. Quæ quoties cogito, non male arbitratum esse *Car. Paschalium* existimo, quando *Calumniæ* originem eleganter descripturus, mulierculas eam circumstare, quarum alteri *ignorantia* nomen sit, alteri *suspicio*, dixit; Idque vitium animi *imbecilli*, *inducti*, & *exulcerati* vocavit, *suspiciosumque propter animi impotentiam omnia ad contumeliam accipere*, pronunciavit. Namque haud raro inscitia, si non ipsa omnino caussa, socia tamen & comes indulsa, *suspicacitatis* esse solet. Eaque hoc magis acuitur animi labes, si vel ab aliis, eodem morbo laborantibus

mala fide, aut fugitivo, vel, contra monitum Christi, ὥσπερ oculo inspecta, decerptaque fragmenta, & narratiunculæ, non ipsa orationis totius structura & συναφία, vel factorum & circumstantiarum plena series, pro fundamento judicii ferendi substernantur, truncataque adeo, & mutila aliorum dicta actusque, de alijs quoque mutilam claudicantemque θηρευτικὴ suspicionibus plenam pariant. Quo malo nihil intolerabilius & iniquius est, si qui ex inveterata consuetudine, aut singulari jure, sibi pro cœtu diviniore vigilandi competente, id ipsum actitent. Hujusmodi enim factiosi Theologi, quæ vox *Calvini* est non inconcinna, eo tandem abeunt, daß sie (verba sunt Cl. Læscberi) alles Böse, was von der Gegen-Partbey gesagt wird, annehmen, und es noch ärger machen. Eademaque agendi ratio, si pruritus insuper litigandi animum teneat obsessum, & radices egerit, rarissime emendatur: utpote quorum suspiciones, δοκησισθοφία, contemtu, aut vilipendio certe aliorum, suffultæ, non aliter, quam amicorum suspicacium Hiobi, quod Dei caussam sese tueri opinarentur, neque si Iovem, quod ajunt, lapidem jurares, frangi possint. Recte, quantum ad hoc, in Stratagem. Satanæ Acontius: *Inter alia, quæ vehementer morosum faciunt disputatorem, primum locum obtinet arrogantia: si tibi sapere omnia videare, ac præte neminem non contemnas.* Hosce autem spiritus addunt sepe opes, magistratus, ampla sacerdotia, nominis celebritas, (vel jam impetrata, vel desiderata) atque alia id genus. *Qua persuasione dementatus animus si fuerit, neminem pati possis integrum pronunciare sententiam: ore vix dum aperto* ¶ *quid dicturus alter esset, quid etiam posset dicere, satis te assequuturum putaveris &c.* Quod si hinc Delatores conceptos igniculos amplius exsuscitent, qui literis scriptis, aut viva voce, encomiisque ex altera parte maximis, altera vero inseftationibus suspiciosis, materiam cogitationibus anticipatis inhærendi subministrant, jam prorsus conclamatum est.

Sed

Sed, ne quis existimet, & nos justo, de caussis suspi-
cionum Ecclesiæ noxiarum, rigidius sentire, age, dispi-
ciamus de *Characteribus*, qui morbum hunc mentis perni-
ciosum subinde patefaciunt. Inter quos, cum primo o-
mnium occurrat *verborum captatio*, id genus hominibus
admodum trita, ejus quoque potissimum habendam esse
inquirentibus rationem existimabimus: cui tamen, quia
rerum ut plurimum maxima pondera obtentui sumuntur,
illico λογοπαχίας jungemus. Ex his enim, ut vel mediocri
judicio præditis, modestis præsertim, & extra telorum ja-
ctum positis ingeniis, facile animadvertere licet, et si a ce-
teris omnibus discedas, apparebit, occupatam suspicione
mentem ad contentionem accessisse: præcipitatamque sen-
tentiam, vel ex persuasione jam firmata, vel ignominiae
evitandæ gratia, si quidem male se antea conjectisse agno-
verit, tueri. Quod si & *scriptio præpropera*, momenti dispu-
tationis, de re interdum levicula institutæ, *exaggeratio ni-
mia*, itemque *cavillationes interpretationis* locorum Scri-
pturæ forsitan insolitæ, in materiam accusationis sine mora
verlæ, & alia hujusmodi obseruentur; jam multo diluci-
dius, qui sunt ita animati, suspicionibus suis duci, & a sa-
pientia, quæ Πτωκῆς νὴ τὸ εὐπαθῆ Iacobo cap. III, dicitur,
alienos esse, liquet. Atque hinc etiam fiet, ut nec meliora
monentibus aut profitentibus temere cedant, sed pervi-
criter pro arreptis *opinionibus*, tanquam aris & focis, pu-
gnent, & tanquam prævæ novitatis suspectos, (quæ H. Witsii
in *Theologo modesto* verba sunt) dissentientes utcunque,
calumniose traducere identidem pergent. Pulchre horum
hominum imaginem, & docto penicillo, depinxit Cl. We-
renfelsius, quando, ut in tenebris plena metus: ita etiam, bic
omnia vanissimis suspicionibus referta esse, inquit. In quali-
bet pagina, (ita pergit de Logomach. IV cap.) nescio quot
hæreses, in qualibet locutione aspis, in quolibet verbo virus
latet. Atque in bac a prævis affectibus orta caligine vi-
dentur

dentur homines meticulosi nunc hic nunc illuc sibi in adversariis suis videre e sepulcro excitata prisorum hæreticorum spectra. Ostende te pietatis studium nihil minus, quam qui maxime solent, urgere. Monstra te alienum esse a poetarum fato. — Dic te horrere sententiam eorum, qui Deum turpitudinis auditorem faciunt. Clama & tibi absolutum Decretum monstrum horrendum — videri &c. Dic te conclusiones omnes absurdas non agnoscere, sed detestari: (Exempli loco isthæc ex Ecclesiæ suæ placitis adduxit auctor, quæ ad nos in præsentia non pertinent.) Hæc, & alia similia, ad rāvim usque repete, explica, inculca, clama, conquerere de injuria. Deum hominesque testare: Nihil ages; augebunt bæc, non adiment suspicionem. Satis ad bæc omnia respondisse videbuntur, qui cum Poeta illud, ad populum phaleras, identidem ingeminabunt. Remitte vocis contentionem, loquere blandius, porrige manum, pacem offer: Tum vero in promptu erit: Equo ne credite Teucri; atque, ut Rusticus ille apud Comicum, Chremes, blanditiarum urbanarum ignarus, dicent, sibi insidias fieri. Hæc ille. Nos, quos pleraque tristis jubet probare experientia, illud præcipue notandum censemus, quod de specbris hæreticorum redivivis argute, vir elegantissimi ingenii, submonuit. Neque enim aliud suspiciose mentis signum evidentius esse plane credimus, quam si ὁ διάλυτος cum haereticis antiquis nexus, & praeceps comparatio, cum nominibus insuper Neo-Crypto-Semi-, v. g. Pelagianismi, Donatismi &c. impactis, præsto sint, atque his ipsi criminationibus initium pugnæ fiat: utpote quibus invidiosis sectarum appellationibus, perperam in alios conjectis, non solum animi affectusque accenduntur, sed suspicionibus magis, quam rationibus solidis iniri certamen proditur. Pluribus demonstrari ea possent, nisi Vir doctissimus H. Scharbau singulari capite institutum hunc Parallelismum, cum hæreticis, vitiosum, quando nimirum ex opinionibus

præcon-

præconceptis, (in quibus sane palmam tenent *suspiciones*,) hæresium myriades & harmonici cum erroribus inferni consensus crepantur, jam ante nos rejecisset, & Ithacii Hisp. Episc. suspicacis exemplo, ex *Sulp. Severi H. S. L.II. extremo*, in caussa Priscillianistarum, illustrasset. Quemadmodum etiam inter *argumenta ab inuidia sumta* Cl. Clericus malignas *suspiciones* aperte numerat. Multo vero plures observationes id genus præclaræ a Venerab. Holfat. Eccles. Antist. D. H. Mublio, in Schediasm. eruditissimis: *De eo, quod justum est, & factu vitatuque necessarium, circa puram Doctrinam custodiendam*, haud ita pridem congestæ, atroque inter cetera carbone sæpenumero *suspiciones* in primis notatæ, comparent. Quibus, si Programmatis id patetur conditio, *exosum illum consequentiarum*, ex hypothesibus positis, & sæpe ne concessis quidem omnino, *nexus* valde odiosum, quem & Werenfelsius attigit: item vulgaria illa: *Latet anguis in berba: ὑπελόν τι subest: Venenum delitescit sub hac vel illa scriptiuncula*, præsertim non fucatæ pietatis urgenda studio proposita: *MScriptorum porro corrasorum*, & male sæpe ex ore differentium exceptorum: nec non *Epistolarum*, etiam post fata conquisitarum, *protestationibus* candidis objectas insulsas *oppositiones*; *Clandestinarum* denique *bypothesium insimulationes, explorationis prætextu*, si male res cedat, excusandas: & alia hujusmodi plura addere possemus; sed non licet longius evagari. Temperare tamen nobis haud possumus, quin acutum & laudabile viri cujusdam ingenui dictum subjungamus, qui, cum nonnemo suspiciosorum persuadere aliis vellet, in B. Arndtii Libris de *Vero Christianismo* venenum inesse occultum, respondisse fertur: *Er wünschte sich daraus den rechten Gifft bey sammen, er wollte solchen seinem alten Adam miteinander zu fressen geben.* Quibus verbis pio acumine suspicacis hominis ineptam formidinem probe & modeste diluit.

Sed

Iam de *Remediis*, tanto malo, tamque periculo morbo, opponendis, oportet dispicere : In quibus ceteris omnibus est præferenda generatim sancta illa, & a Spiritu S. toties Christianis commendata omnibus, & erga omnes, *Πτείκα* Phil. IV, 5. singulari libello a laudatissimo *Muhlio*, suspiciosis non minus, quam feris Theologis (quis enim justum zelum *Mystæ fervidi* impobet?) gravissimis argumentis deprædicata. Quam & *Seneca*, homo sagax quidem, sed extra Ecclesiæ tamen pomœria constitutus, naturalis luminis ductu, eodem vitio laborantibus studiosissime inculcavit, L. II. de Ira. *Tollenda est*, inquiens, *ex animo suspicio & conjectura*, fallacissima irritamenta. Ille me parum humane salutavit, ille osculo meo non adhaesit — illius vultus aversior fuit. (addimus: ille a forma loquendi nobis recepta recessit &c.) *Non deerit suspicioni argumentatio*. Simplicitate opus est & benigna rerum aestimatione. Nihil, nisi quod in oculos incurret, manifestumque erit, credamus ; & quoties suspicio nostra vana apparuerit, objugemus credulitatem. Tanto vero magis hæc Christiana disciplina requirit, cujus prima, ex fide, perpetuaque exercitatio, & ultima, charitate continetur. Ea vera, uti I. Cor. XIII, 7. tanquam πάντα non solum πιστύσα, πάντα ελπίζα, sed & πάντα σέγεται, h. e. quoad per nos licuerit, tegens, describitur: ita quoque errores, si vel maxime tales sint; dummodo τὰ περὶ Christianismi non attineant: multo vero magis, si nobis duntaxat esse videantur, ad ejus præcepta tractandi & aliis non perperam tribuendi sunt. Quemadmodum enim illibata utique servanda est doctrinæ puritas, ne post aliquot annos Ecclesia miretur errorum aristas: ita quoque *concordia esse non poterit*, (quæ Philippi nostri vox est) *nisi Πτείκα sit in rebus non necessariis*: quod fiet, si orationi, cui rectæ esse liceat, alienus sensus non affingatur, nec præpropere de hæresi aut collusione cum hæreticis suspicemur. *Nihil enim*, ut Apol. A. C.

b2

nostræ

nostræ loquitur , tam circumspede alioqui dici poterit , ut
calumniam (suspicionem) evitare queat : multaque sunt ,
sicut alibi *Philippus* ait , *improprie dicta in scriptoribus piis* ,
ut *vix quisquam tam disertus* & tam circumspectus sit , qui
ubique vitare possit ἀκυρολογίας . Contra , *Hieronymo* ju-
dice , *sceleratum est , in verbis alicujus velle hærefin querere* ,
cum noris Janum illius (ex doctrinæ analogia) *esse sensum* .
Idque si diligentissime inter omnes fieret , necessariis con-
troversiis , cum pietate ingenua , plus otii , & inutilium ri-
xarum , inter socios ejusdem fidei mature , finis existeret .
Sin secus , vereor , ne in nos conveniat , quod *Sim. Gry-
næus* quondam perscripsit ad *Io. Calvinum* : *Pestis est
Ecclesiæ nostræ una hæc perniciosa maxime , quod suspicio-
nibus valde inter nos laboramus , & fratres de fratribus
raro candide vereque sentimus ; cum lenire oportet , &
in partem optimam omnia trahere , & non ante sinistre de
fratre suspicari , quam ipsa res eventusque coëgisset . Ah
quam malum est , eos , quos nosse Christum credimus , in suspi-
cionem pravam rapere subito . Ita , quod suspectum erit
nobis , inutile reddimus . Sed non hæc sola , quæ com-
memoravimus , sufficiunt remedia : Sunt & alia , non minus ,
si sobria mente adhibeantur , salutifera . Est *privata colla-
tio per litteras , fratrumque colloquium* , non postremum ,
haud raro certe fuit , suspicionum tollendarum & extir-
pandarum adminiculum ; modo θεσματικά , ut *Cl. Muh-
lius* studium partium *vehementius* vocat , non prævaleat ,
& quisque hominem se esse , a quo nihil alienum sit hu-
mani , sincere sibi persuadeat ; tum vero etiam æquitas ri-
gori iniquo in concedendis postulatis præferatur , ad hæc
vocabulorum crepundia a dissidiis realibus secernantur ,
atque nemo denique , quod caput rei est , in alterum sibi
Didaturam arroget . Alioquin suspiciones ipsæ , alimento
novo accedente , in divinatricem ἀνθρώπων tandem de-
generabunt , ipsæque persuasiones fient κυριακός : quæ si*

C

mature

nature in exilium mittuntur , sine noxa s̄æpe evanescunt.
Atque sic piorum Theologorum animi , quemadmodum sa-
pientis Stoicorum , reddentur compositi , ut semper illuc
serenum sit , sicut sub luna. Et profecto Sandi sunt
dociles , ajente eodem Philippo , ceduntque recte monenti ,
neque ad ideas sibi formatas , sed ad res ipsas η τὰ ἔκαστα
accurate respiciunt , Dominumque suum pie reverentur ,
ne cum redierit , in ipsos , tanquam servos , aliis sodali-
bus tantum flagellandis occupatos inveniat.

Absit ergo , ut favere vapulantibus omnes credant , qui
non maledicunt. Absit , ut alienis oculis videamus , iisque
solis fidamus , cum ne nostri quidem a cœctiendi discrimine
immunes sint : Absit , ut de Libris aliquaque scriptis judice-
mus , vel non integris , vel titulo duntaxat præscripto , eo-
que obiter , inspeclis : Absint calumniosæ verborum *cavil-
lationes* , & *incommode* dictorum exaggeratorumque *depra-
vationes* : Absit φιλαυλία (ut pauca multis complectar) sto-
lida , strictumque jus pia ubique temperetur æquanimitate .
Admittantur vero etiam (nam *modeste* expetere licere ,
quis abnuat?) *Declarationes* , eademque , si desiderentur ,
aut opus illis videatur esse , pacis conservandæ gratia , *præ-
stentur* æquo animo , & ne cœcis quoque , immo neque
luscis , cuiusmodi sunt *suspiciosi* , offendiculum ponatur ,
quod a sana verborum forma temere defleßendo , ut fiat ,
proclive est , detur opera . Ad extremum denique *oculata*
esto , in judicando , censendo , disputando , *simplicitas* , &
simplex in credendo αἰχείβεια . Sin secus , dum in verbis
pugna erit , dum de *novitatibus* *suspicio* erit , dum de *ambi-
guis* occasio erit , dum de *auditoribus* querela erit , dum de
studiis certamen erit , dum in sensu difficultas erit , dum al-
ter alteri anathema esse incipiet , quod olim *Hilarius* Con-
stantii ævo ominabatur , prope nemo tandem *Christi* erit .
Aut , si judice Bacone Verulamio , res finienda sint , cum
suspiciones , *inter cogitationes* , sint , ut inter aves *vesperti-
liones* ,

silasen

liones, quæ nunquam volitant, nisi luce vespere, verendum, ne post tot invalescentes suspiciones, in rebus sacris, fidem apud nos, aliosque decoquamus, & nox errorum pristinorum denuo vel non opinantibus ingruat. Hæc de Theologorum inter se suspicionibus strictim exponere justus dolor jussit. *De suspicionibus Politicorum in Theologos* haud minus frequentibus, nec minus periculosis Ecclesiæ, alibi differendi locus erit. —

Vtinam vero etiam in **controversiis Remonstrantium** utraque ex parte non plus suspicionibus datum esset, aut credulitati & moderationi immoderatae! Fortassis enim his, quibus hanc prolationem nostram destinavimus, litigiis carere, & veritati Evangelicæ de Gratia Domini nostri Iesu Christi ejusque merito amplissimo universisque comparato, cum ceteris cognatis disputationibus utilissimis, utilior opera, nec sufflaminata, impendi potuisset. Quo minus vero id eveniret, quod omnibus votis extendum fuerat, id ex altera quidem parte injustæ Socinianorum errorum excusationi, ex altera vero meritis **suspicionibus** acceptum ferendum. Cui malo post integrum seculum jam firmiter constabilito, & longius, quam putabatur, progresso, cum multa sint, quæ inter nos quoque diligenter obviam ire suadeant, & simul, quæ suspiciones sint Adversariorum, a genuinis **Remonstrantium** placitis, discernere percommodum sit; visum nobis est, non solum **Breviario**, in eam rem adornato, has **controversias** ordine ad examen revocare, sed etiam disputandi exercitium ex iisdem ordine propositis hunc quoque in finem desumere: ut eadem simul opera, & quasi aliud agendo, consanguineæ Socinianorum φλυαειας discuti penitusque indagari queant. Cui Exercitationi cum se manum mecum admoturos, ultro, *Viri Luvenes octo*, Praestantia eruditio, Industria constanti, & Morum recta ingenuitate

omnibus probatissimi, ac sincere mihi in primis dilecti,
professi sint: nominatim

DN. M. CHRISTOPHORVS HENRICVS PFAFFREV.
TER, Ratisbonensis:

DN. M. GEORGIVS CHRISTOPHORVS FEVERLEIN,
Noribergensis:

DN. M. IOANNES CHRISTIANVS POLCKE, Vratis.
laviensis:

DN. IOANNES CONRADVS MAYER, Vlmensis:

DN. EITELIVS ALBERTVS ROEBELIN, Vlmensis:

DN. ZACHARIAS HAENDELER, Noribergensis:

DN. IOANNES MAVRITII, Onoldinus:

DN. IOANNES CONRADVS LVFFT, Noribergensis:

ita quidem, ut alterna vice Respondendi & Opponendi
munia, quæ cum applausu jam subiere sæpius, ipsamque
etiam lauream hinc ex parte Philosophicam ornant, se
suscepturos receperint; tam optabilem occasionem (etiam si
disputare alias non tam malim nec doceam, quam *vivere*,)
nolui negligere, sed pro veritate cœlesti dilucidanda lu-
bentissime amplexus sum. Reliquum ergo est, ut Supremi
Numinis Gratia, quem, ut eam largiter nobis adspiret, piis
precibus obtestamur, auspicium harum Disquisitionum pro-
ximo die Mercurii boris antemeridianis fore, hoc ipso Pro-
grammate significem, easque singulis bebiomadibus, eodem
die, atq; horis iisdem, Dei immortalis beneficio, continuan-
das promittam. Ad quas frequentandas, ac sedulo audiendias, omnes, sacrarum præsertim, litterarum cultores, qui
non minoris utilitatis pretium, atque ipsi colloquentes,
spero, inde ferent, quam humanissime invito. Valete,
& in Ecclesiæ Christi emolumentum sanctissima studia
vestra ἀληθεύοντες εὐαγγελίαν feliciter excolite.

P. P. D. SEPTEMBER. A. R. S. MDCCXIX.

Coll. olim. F

139 | 18